

PROLVSIO  
DE  
EPIGRAMMATE CALLIMACHI  
IN  
ARATI PHAENOMENA

---

ORATIVNCVLIS VI  
IN SCHOLA THOMANA

A. D. XXVIII. APRIL. HOR. IX

HABENDIS  
PRAEMISSA

A

R E C T O R E

IO. AVGVSTO ERNESTI

---

L I P S I A E  
EX OFFICINA LANGENHEMIANA.

1757.

LEIP  
11 (1757)



PROVINCIAL

MEMORANDUM

FOR THE RECORD

IN THE MATTER OF

THE

PROVINCIAL

COMMISSION

AND

THE

PROVINCIAL

COMMISSION



obile est Epigramma *Callimachi* in *Arati Phaenomena*, neque magis sua causa, et quod *Callimachus* auctorem habet, *Arateique* carminis laudem venuste exprimit, quam, quod tam multi praeclari viri in eo vel emendando vel explicando laborarunt. Eius adeo veluti historiam per hanc occasionem proponere, et nostram de virorum eruditissimorum vel emendationibus vel interpretationibus sententiam proferre, vel ea de causa non alienum visum est, quod de hoc epigrammate in ipsa *Callimachi* editione non licebit pluribus dicere, quae studiosis ad cognoscendum non ingrata credimus.

Primum in notitiam eruditorum hominum venit per *Petrum Victorium*, edita inter graecos *Astronomos Vita Arati*, *Florentiae*, 1567. Neque enim ibi latere diu poterat literatores, qui inde a restitutis bonis literis, mathematicas disciplinas, imprimisque *Astronomiam* a veteribus traditam, diligenter tractarant, et veteres mathematicos vel ediderant vel praelectionibus illustrarant, ut in nostris terris, *Caspar Bornerus*, *Phil. Melanchthon* et *Ioach. Camerarius*: quamquam *Victorius* in praefatione istius operis queritur, studium illud inter eruditos homines iam refrigescere. Eodem anno *Fulvii Ursini Virgilius cum Graecis collatus* prodit, in quo libro p. 13. e *MSto Achillis Tatii Romano*, quem etiam *Victorius* commemorat,



## IV

pro inedito prolatum est idem epigramma. Sed his nihil praeter editionem debebat. Mox *Is. Casaubonus* in *Lection. Theocrit. c. 4.* corrigere depravatam epigramma tentavit, et post hunc *Cl. Salmasius* in *Exercit. Plin. p. 525. (ed. sec.)* qui etiam sensum eius declarare conatus est. Ita quater edito epigrammate, exortus est *Lucas Holstenius*, qui id eruditus pro inedito daret, in eruditissimis ad *Stephanum Geographum* notis, p. 301. adiuncto vnus distichi auctario, e *Barberiniano*, ut videtur, *Anthologiae Codice*, e quo multa alia inedita epigrammata in iisdem ad *Stephanum* notis protulit. Sed *Holstenius*, uti repererat, ita edidit, nulla in eo corrigendo crisi usurpata. *Salmasiana* autem crisi non contentus *Is. Vossius*, aliter constituere epigrammatis lectionem tentavit in *Comment. ad Melam, I, 13.* ceterum in sensu eius fere cum illo consentiens. Exhibetur etiam, cum aliqua lectionis diversitate, in capite *Arati*, a *Io. Fello* editi. Repetiit totum illud *Victorianum Astronomorum corpus Petavius* in *Vranologio*: atque ita etiam epigramma, additis paucis in margine coniecturis. Tandem, in *Graeviana Callimachi* editione, Epigrammatis *Callimachiis*, loco vndetricesimo, cum *Bentleii* correctione, insertum est. Voluit etiam de eo bene mereri *Io. Clericus* in *Silvis Philol. c. 6.*

Est autem Epigramma e MS. Florentino a *Victorio* sic editum

Ἡσιόδῳ δ' αἶσμα καὶ ὁ τρόπος ἔ τὸν αἰοῖδὸν  
 Ἐσχατον, ἀλλ' οὐκ αἰσωμητο μελιχρότατον  
 Τῶν ἐπέων ὁ Σολεὺς ἀπεμάξατο. χαιρετε λεπταὶ  
 Ῥήσεις Ἀρήτες σύγγονος ἀγρυπνίης.

E MS. Romano *Vrsinus* edidit eodem modo, nisi, quod in principio recte τὸδ' αἶσμα, et in ultimo ῥήσεις - - σύγγονοι ἀγρ. dedit. *Holstenius* autem e suo Codice in primo versu αὐτὸν αἰοῖδὸν: in altero ἀλλ' οὐκ ἐνέω, μὴ τὸ μελιχρότατον: in ultimo: ῥήσεις Ἀρήτες σύντονος ἀγρυπνίη: addito denique hoc disticho:

Ἀλλὰ

Ἀλλὰ σὺ μηκέτ' Ἄρητον ἐπιβλεπε  
 Δισσὰ γὰρ ἀμφοῖν  
 Μέτρα πῶν ἄθρει πάντα τὰ Φαινόμενα.

Ex quo etiam corrigi voluit *Antipatri* epigramma in *Anthol. I, 46.*

ἄλλὰ σὺ μηκέτ' ἐς ἄρητον ἐπιβλεπε

reponendum censens μηκέτ' Ἄρητον. In quo bis peccavit; ut hoc statim moneamus: primum, cum non vidit, id distichon male huic Callimachio adfutum ex *Antipatri* epigrammate in *Theogenis* Mathematici duo hemisphaeria coelestia, neque sensum habere eum, ut villo modo cohaerere cum reliquo *Callimachi* epigrammate possit: deinde, quod vitium in μηκέτ' Ἄρητον non advertit. Nam prima in Ἄρητον syllaba longa est, de quo post: estque clarum μηκέτ' Ἄρητον factum e μηκέτ' ἐς ἄρητον, posteaquam distichon illud temere adhaeserat alteri in *Aratum*. Sed id esse a Callimachio alienum, vidit *Bentleius*, eamque ob causam omisit, ne verbo quidem admonitis lectoribus. Neque erat necesse, in tanta rei evidentia, maleque propterea carpitur a *Clerico* (*l. c. p. 242.*) qui id distichon asserere *Callimacho* frustra, et nullo idoneo argumento, conatur.

Sed viri docti, qui hoc epigramma emendare instituerunt, primum in sensu eius univervo non consentiunt: aliis in laudem *Arati* accipientibus, aliis ad reprehensionem et contemptum operis *Aratei* trahentibus. In posteriori genere sunt *Salmasius*, et *Vossius*, sequente *Fabricio Bibl. Graec. II, 8 p. 279. extr.* et *Clerico*, quo diximus, loco, existimantes, rideri *Aratum*, ut male imitatum Hesiodi Astrologicum carmen, quod olim circumferebatur sub nomine βιβλὸς ἀστρολογικῆς, sed γνησιότητα eius doctissimis quibusdam in dubium vocantibus: quippe non modo *Hesiodum* compilasse, sed etiam difficilia et parum amoena, ab *Hesiodo* consulto omissa, operi inseruisse. Itaque vltima epigrammatis huic interpretationi sic accommodant, ut, *Callimachum*, dicant, iubere valere tetricas illas et iniucundas tricas et nugas. Ea sententia haud dubie longe a vero aberrat.

## VI

Primum univērsae eruditae antiquitatis iudicio refragatur: quae *Arati* carmen ita admirata est, ut eo nihil praestantius in illo erudito et subtili genere scribendi putaret. Ne epigrammata commemorem *Ptolemaei*, in eadem *Arati* Vita apud *Victorium*, et *Antipatri* in *Anthol.* I, 46. *Ciceronem*, quis nescit, eius versus in primo *de Oratore* pro optimis et ornatissimis laudare, quos ipse etiam latinos fecit. Deinde, auctore illo ipso Vitae Arateae scriptore, *Callimachus Aratum* in Epigrammatum libro, et in iis, quae ad *Praxiphanem* scripserat, valde laudarat, ut *πολυμαθῆ* et *ποιητὴν ἀριστον*: tantum abest, ut hoc epigrammate perstringere voluerit: fuitque *Aratus* propter elegantiam carminum, inprimisque Phaenomenorum gratissimus etiam regibus, qui illam eruditam elegantiam gustare possent. Auctor autem Vitae *Arati*, quae *Phaenomenis* praepositur in vulgatis libris, eum, ait, a *Callimacho* hoc epigrammate (neque enim de alio loquitur) honoratum esse: *παρὰ τῶ Κυρηναίου καὶ ἐπιγράμματος ἠξιώθη*. Nam quod eius carmen *λεπτὰς ῥήσεις* appellat: id nullo modo in contemptum accipi debet: cum *λεπτὰ* etiam in optimam partem dicantur, non modo de oratione, sed etiam aliis rebus. *Antipater* quidem et *Ptolemaeus*, haud ambigui laudatores *Arati*, ita eum laudant, ut ille *λεπτὴν Φροντίδα*, quam etiam in contumeliam dici, apud *Aristophanem* in *Nubibus*, non ignoramus, ei tribuat in isto opere scribendo, *acumen, subtilitatem*, alter autem *λεπτολόγον* vocet, *ἀλλάγε λεπτολόγος* (sic *Victorius*: *Vrsinus* autem *ἀλλὰ τὸ λεπτολόγος*) *σικηπτρον* "Αρητος ἔχει: sed subtilis principatum *Aratus* habet. Itaque *χαίρετε λεπτὰς ῥήσεις* non est, *valete ieiuna carmina*, sed, *salvete arguta carmina*. Illud autem quam abhorrens est, quod *Salmasius συγγόνες ἀγρουπνίης* intelligit, *cognata vigiliis, et somnum adimere nata?* Neque enim *ἀγρουπνία* scriptoribus aliter, quam in bonam partem tribuitur: estque evidens, *Callimachum* respexisse ad locum *Homeri Odyss.* ε. 271. de *Vlysse* nauigante; quem in eum confert etiam *Achilles Tati* apud *Victorium*



*Victorium in fragmentis p. 112. (Vranolog. p. 94. ed. sec.) κα-*  
*λὸν inquit, κατὰ τὸν Κυρηναῖον, ἀμέψασθαι τῷ λόγῳ τὸν*  
*Ἀράτε πόνον, ὃν ἐποίησεν*

*ἡμενος, ἐδέ οἱ ὕπνος ἐπὶ βλεφάροισιν ἐπιπτεν*  
*πληιάδας ἐσορῶντι etc.*

Quae cum ita sint, sequamur potius eos, qui, ad laudem *Arati* pertinere *Callimachi* epigramma, verissime iudicant. Laudatur *Aratus*, ut imitator felix *Hesiodi*, qui primus de rebus tenuibus atque subtilibus, quales sunt rusticae, mathematicae, philosophicae, probabiliter scripserat; unde unus ex antiquioribus aetatem tulit. Neque aliud *Hesiodi* opus intelligere necesse est, quam ἔργων καὶ ἡμερῶν: ad cuius imitationem olim omnes studium suum contulerunt, qui in subtili carminis genere aliquid efficere vellent. Vocat enim μελιχρότατον τῶν ἐπέων, *dulcissimum carminum*: quod plane in *opera et dies* conuenit, dulcedinis et lenitatis nomine a veteribus celebrata.

Sed utinam, ut sensum epigrammatis adsequi et vindicare, ita lectionem veram, sive certam, indagare, facile esset. Ac primo quidem in versu haud difficilis res est. Nam utrum editum serues αἰοιδὸν ἔσχατον, an malit quis αἰοιδῶν, ut ἔσχατος ἀνδρῶν, Ρωμᾶων, τελειότατος πετεηνῶν et similia, non admodum refert. Nec opus est, duram *Casauboni* coniecturam refellere, καὶ ἄτος ὁ τρόπος αἰοιδὸν ἔσχε τόν· aut Clerici alteram ἢ τῶ αἰοιδῶ (scil. *Hesiodi*) ἔσχατον, quae et supervacua et parum suavis est. Sed magna difficultas est in secundo. Nemo facile probabit *Pantagathi* coniecturam, corrigentis ὦ ζεῦ, ὄσμα μελιχρ. apud *Vrsinum* l. c. Ἄσμα ἐπέων, nescio quomodo, durius est: aut *Salmasii*, *Vossique*, qui, ablati falsae interpretationis opinione, correxere, ille, ἀλλ' ὀνέω μὴ τὸ μελιχρότατον etc. hic ἀλλ' ὄχα σοι μὴ τὸ μελιχρ. qua ratione magis corruptum versum, bene iudicat *Bentleius*: praesertim, cum etiam priorem versum huic sententiae accommodare corrigendo tentarint. Tutissimum sane est, manere in eo, quod  
 post

post *Casaubonum Bentleius* probavit: ἀλλ' ὀκνέω, μὴ τὸ μελιχρ. *sed haud scio, an dulcissimum carminum expresserit imitando.* Nam et in Florentino *Achillis Tatii* libro, in principio *Vitae Arati*, hic versus sic exhibetur, ut sit ἀλλ' ὀκνέω, verbis ceteris foede corruptis, et *Holstenius* sic e MSto, ut videtur, edidit. Sed non negem, mihi duram videri ὀκνέω, μὴ ἀπεμάξατο, *haud scio an*, (quod vim affirmandi apud Latinos habet) *expresserit*: nec quisquam exemplis ad eam rationem firmandam usus est, aut mihi exempla, quod meminerim, occurrerunt inter legendum. Itaque aliquando venit in mentem, sic hos versus e vestigiis corruptae scripturae (ὀκασωμητο) constituere:

Ἡσιόδῳ τὸ δ' αἶσμα καὶ ὁ τρόπος. Ὅου τὸν αἰοιδῶν

Ἐσχατον, ἀλλ' ὄχ' ἄκρον, καὶ τὸ μελιχρότατον etc.

*Non ultimum poetarum imitatus est.* Accurata ratio scribendi videtur postulare, ut post ἀλλὰ sequatur contrarium superioris, τῆ ἔσχατε αἰοιδῶν. Quod sensit *Hemsterbuisius* ὁ πᾶνυ, voluitque expressum a *Callimacho* in hunc modum: ἀλλ' ἔ τὸ σῶμα μ. τῶν ἐπέων, ὁ Σολεὺς ἀπεμ. ad *Pollucem* p. 1117. b. Hoc plane est, ἀλλ' ὄχ' ἄκρον: *sed longe principem*: ὄχ' ἄκρον *Homerus* dixerit. Prima in ἄκρος positione producitur, natura sua brevis est, et correpta reperitur apud Poetas, non modo scenicos, ut *Euripiden Cycl.* 455. *Phoeniss.* 433. sed etiam alios, ut *Pseudo-Orphea Argon.* 458. 1165. Sed praestantissimi poetae etiam *dulcissimum carmen expressit*: Καὶ τὸ μελιχρότατον τῶν ἐπέων ἀπεμάξατο. In libris scriptis quam saepe μὴ et μὲν pro καὶ irrepsit per similitudinem compendiorum, vix nescire potest non expers harum literarum, estque saepe a Criticis notatum.

Sequitur illud: Χαίρετε λεπταὶ ῥήσεις: *Salvete arguta carmina.* In quo sane Ionica forma restituenda est ῥήσεις quod et sua sponte quis viderit, et suadent libri veteres. Nam sic e suo edidit *Vrsinus*, et eo ducunt vestigia *Holstenianae* scripturae



scripturae ῥήσις (in qua forte est operarum vitium) et versus fit suavior. Pro Ἀρήτε porro *Salmasius* dat Ἀρῆτες, duplicata litera secunda, ad producendam syllabam primam, quam sua sponte longam esse, veterrimis et optimis auctoribus discimus. Posteriores demum etiam corripuerunt, quos imitati sunt latini. Itaque bene etiam *Vossius* hanc correctionem repudiat, allato exemplo *Leonidae*. Eodem tamen modo corrigit *Petavius* in margine Vitae *Arati*; sed ut adiectivum, vehementius illud quam pro re, faciat, vertatque *inexplicabilis germana vigiliae*.

Restat difficilis nodus in ultimis verbis: in quibus triplex librorum lectio prodita est: prima Florentini, σύγγονος ἀγρυπνίας, quae etiam est in *Vita Arati* inedita, quam e MSto Bodleiano descriptam mecum benigne communicavit *Dav. Rubnkenius*, Vir graece doctissimus, merito suo nuper ad literas graecas in Academia Leidensi publice docendas promotus: altera Romani, apud *Vrsinum*, σύγγονοι ἀγρυπνίας. tertia Holsteniani, σύντρονος ἀγρ. Primam nemini probatam vidi. Alteram, qui ut probam sequuntur, explicant *cognata*, aut *germana vigiliae*, ut vidimus ante. Sed inde commodus sensus non efficitur, et quidem in neutram partem. *Αγρυπνίας* de eruditis hominibus eorumque operibus non dici in malam partem, supra monui: ut nec *evigilata opera* sic latinis, aut *vigiliae* dicuntur. Nec *opera cognata vigiliis*, si in deteriorem partem explicare velis, aliud significant, quam, in quibus intelligendis multum vigilandum sit: quem tamen modum loquendi nec latina nec graeca lingua fert. Tertiam probavit *Bentleius*. Nec incommodus ex ea sensus existit. σύντρονος ἀγρυπνία est *acris, non remissa vigilia*, fuitque pronus librarius lapsus a σύντρονος ad σύγγονος, sed non minus ab hoc ad illud. Itaque, etsi σύντρονος haud dubie melius est, quam σύγγονος. tamen consensus reliquorum librorum facit, ut σύντρονος correctori potius deberi, quam a *Callimacho* esse videatur:

malueruntque viri docti aliud e σύγγονος eruere, quam *Holstenii σύντονος* probare.

Iam si quis terminationem vulgatae scripturae teneat, nihil propius est, quam, vt corrigat ἔκγονοι, quod placebat *Hemsterbusio*, Viro summo, ad *Pollucem* p. 1117. b. venitque etiam in mentem *Bentleio*: qui tamen hiatum Ἀρήτε ἔκγονοι non concoquebat. Est ille quidem modus loquendi *Callimachus*. In hymno in *Lavacr. Pallad.* 26. habemus, *χρήματα τῶς ἰδίας ἔκγονα Φυταλιάς*. Quo modo autem haec verborum permutatio nasci potuerit, non est difficile ad intelligendum, si quis modos permutandorum in libris priscis verborum non ignoret. Saepissime permutantur verba, quae in capite habent praepositiones ἐκ, ἐν, σύν. In nota illa, v. c. definitione artis, σύστημα ἐκ καταλήψεων, libri semper variant et veluti vacillant inter ἐγγεγυμνασμένων, ἐκγεγυμν. et συγγεγ. (vid. ad *Lucian. Parasit.* r. 4.) Itaque facilis transitus fuit ab ἔκγονος vel ἔγγονος ad σύγγονος. Nam ἔγγονος et ἔκγονος adeo frequenter permutantur, vt idem significare, et promiscue dici videantur. Apud *Iosephum Ant.* XX, 10. aliquoties ea permutatio facta: et quoties ibi est in editis ἔκγονος, Codex Vossianus, qui nunc Leidensis est, habet ἔγγονος. add. *Albertum*, Virum summum, ad *Hesychium* in ἔγγονος. Sed plane eadem confusio est verborum ἔκγονος vel ἔγγονος et σύγγονος apud *Dionysium Halic.* L. I, p. 55. vbi *Dardanum*, ait, Palladium et alias sacras imagines in Asiam secum transtulisse et intulisse vrbi a se conditae: inde autem translata esse illum πρὸς τῶν συγγόνων αὐτῆ, a nepotibus, a posteris. Ita libri quod sciam, omnes: sed recte *Sylburgius* corrigendum iudicat ἐγγόνων vel ἐκγόνων; idque dudum in versione *Lapus* expresserat. Hiatum autem, qui in hac emendatione apud *Callimachum* offendebat *Bentleium*, etsi libenter vitant elegographi, inprimisque *Callimachus*: tamen ea res non tantam habet necessitatem, vt propterea

pterea haec correctio repudietur: et potest illus hiatus in-  
 lentia induxissē correctorem, vt ex ἐκγ. faceret σύγγονος. Quod  
 si quis tamen hiatus ferre nequeat, tenaxque sit primae in vul-  
 gata lectione syllabae, ob consensum librorum, ei forte pro-  
 betur magis elegantissima coniectura *Davidis Rubnkenii*, V. C.  
 qui mihi scripsit, sibi legendum videri σύμβολον ἀγρυπνίης,  
*monumentum vigiliarum*, e simillimo loco epigrammatis, *An-  
 thol. V, 28, p. 509.*

εἴησε τρόπαιον, εἴησ σύμβολον ἀγρυπνίης.

comparatque etiam *Leonidae* versum, *ibid. VI, 12. p. 563.*

λαμβάνε βιβλον,

Καῖσαρ, ἰσηρίθμῃσ σύμβολον ἐνεπίης.

Haec habuimus, quae de *Callimachi* epigrammate diceremus.  
 Erat consilium per hanc occasionem aliam disputationem in-  
 gredi, quae esset cum hac aliquo modo coniuncta: sed vi-  
 demus modum talis scriptiunculae iam esse expletum. Itaque  
 eam ad aliam occasionem differendam putamus: addimusque  
 vnum illud, cuius causa instituta est haec scribendi ratio,  
 vt Fautores bonarum artium ad benigne audiendos iuvenes  
 vocemus, qui e Scholae Thomanae disciplina ad Academi-  
 cam transire in animo habent,

I O. GOTTHILF ENGELMANNVM,  
 ZVICCAVIENSEM.

I O. SAMVELEM KVTNERVM,  
 PLISSA-CHEMNICENSEM.

I O. HENRICVM BACHIVM,  
 HONDORFIO - PEGAVIENSEM.



X  
malueru  
stenii σ  
Ia  
nihil pr  
Hemsten  
etiam in  
non co  
limachii  
Χοίματ  
tem ha  
difficile  
in libri  
mutant  
σύν. I  
ψεων,  
γυμνασ  
r. 4.)  
σύγγον  
tantur  
Apud  
et quo  
nunc I  
summu  
fusio e  
nyfium  
alias fa  
vrbi a  
συγγόν  
omnes  
ἐγγόνω  
autem,  
Bentlei  
machus

© The Tiffen Company, 2007

TIFFEN® Gray Scale



eruerere, quam Hol-

scripturae teneat,  
νοι, quod placebat  
p. 1117. b. venitque  
tum Ἀρήτα ἐγγονοι  
odus loquendi Cal-  
llad. 26. habemus,

Quo modo au-  
potuerit, non est  
os permutandorum

Saepissime per-  
raepositiones ἐν, ἐν,  
σύστημα ἐν καταλή-  
racillant inter ἐγγε-  
ad Lucian. Parasit.

ονος vel ἐγγονος ad  
frequenter permu-  
cuc dice videantur.

ea permutatio facta:  
dex Vossianus, qui

Albertum, Virum  
d plane eadem con-

σύγγονος apud Dio-  
ait, Palladium et

intulisse et intulisse  
esse Ilium πρὸς τῶν

Ita libri quod sciam,  
iudicat ἐγγόνων vel

expresserat. Hiatum  
limachum offendebat

, inprimisque Calli-  
necessitatem, vt pro-  
pterea

XII  
CARO. FRIDERICVM BARTHIVM,  
GLAVCHENSEM.

IMMANVEL IO. GERH. SCHELLERVM,  
DAHME NSEM.

CHRIST. ADOLPHVM TOPPIVM,  
DONDORFIO - THVRINGVM.

*Dicent de honestae Paupertatis bonis.* Ad eos igitur audien-  
dos qui venerint, existiment, se non modo ipsos, sed etiam  
nos beneficio adfecisse. Et est hoc tempus, quo maxime con-  
veniat Paupertatis bona cogitare, ne, si ea nobis, quod facere  
velle videtur, hospitium repente denunciaret, imparatos oppri-  
mat, et nimis molesta hospita veniat. Scr. in Schola Thomana,  
d. XXV. Aprilis, A. C. CIO IDCCLVII.

